

www.e-rara.ch

**Theologia christiana dogmatico-moralis f. Danielis Concinae ordinis
praedicatorum**

Concina, Daniele

Lugani, 1765

Biblioteca Salita dei Frati, Lugano

Shelf Mark: BSF 35 Ca 14

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-13786>

De vita et studiis P. Danielis Concinae Ord. Praed.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

DE VITA ET STUDIIS
P. DANIELIS
CONCINÆ
ORD. PRÆD.

COMMENTARIUS HISTORICUS

AUCTORE

LAURENTIO RUBEO

PRESBYTERO FOROJULIENSI.

Honoratorum Virorum laudes memorentur .

Cicero. de legibus II.

LAURENTIUS RUBEUS

Ecclesie Forojuliensis Presbyter.

L. S.



AM dudum de Danielis Concinae Ord. Præd Popularis mei laudibus dixissem, nisi fama, quæ multorum aures pervaserat, Venetos Patres, in quorum sinu eximius Vir fatis cessit, ejus vitam edituros propediem, animum meum avocasset. Sed quum nihil adhuc protulerint, quæ antea pingui, ut ajunt, Minerva collegi, publici juris facere constitui, atque hunc *Commentarium Historicum* ceu grati civis, & pietatis testimonium Concinae honori destinare. In quo quidem elaborando usus sum *Commentario* altero non ineleganti *de Vita & Studiis P. Danielis Concinae* inscripto, ab Anonymo Auctore, elapso anno, Bononiae evulgato, atque ab Ephemeridum Florentinarum Cl. Auctore etruscis literis reddito. Adjumento mihi quoque fuit *Encyclica*, qua Patres Prædicatorii Ordinis acerbam Concinae funus nunciarunt, ex qua plura exscripsit, plura etiam omisit memorati *Commentarii* Bononiensis Auctor. Quæ de Concinae familia, atque in literis institutione attigi, partim a Viris gravissimis accepi, partim vero ex ejusdem Concinae operibus excerpti. Siqua nihilominus minus accurata conscripsi, eos emendaturos spero, qui idem vitæ genus amplexi, eodemque in stadio educati, plenius quam cæteri, & Concinae labores, & merita noverunt. Vale,

X X.
DE DANIELIS CONCINÆ ORD. PRÆD.

Vita & Studiis

COMMENTARIUS HISTORICUS .



Dater Daniel Concina, Celeberrimus nostræ ætatis doctrinæ morum præceptor, natus est honestis conjugibus Petro Concina, accurrimo ingenii, & singularis dexteritatis Viro, & Pasqua Cæconia non vulgaris honestatis femina, anno Æ. C.H. MDCLXXXVIII. Sexto Idus Octobris. Patriam habuit Clauzetum Provinciæ Forojuliensis Pagum, in quo jus dicunt Savorniani Patritii Veneti, sextoque distat lapide ab S. Daniela ejusdem Provinciæ illustri Oppido, unde in eo Concinam primam lucem vidisse quidam scripserunt. Sex filios Οὐότροπος laudati conjuges susceperunt. Horum grandior natu non multos annos inter Mortales exegit: Daniel cujus gesta conscribenda suscepimus, secundo loco natus est. Huic succedit Nicolaus lustrali nomine Leonardus appellatus, qui anno 1712. III. Kal. Octob. Ord. Præd. Institutum professus, eæ opinione doctrinæ, eoque plausu philosophicæ, & Theologicæ disciplinas in Ordinis sui Gymnasii docuit, ut anno 1732. Augusto Senatus Veneti Edicto Metaphysicæ Professor in Patavino Lyceæ adlectus sit. Ineunte anno 1763. idibus Januarii, vomica pulmonali extinctus est annos natus 60., cui utpote scriptis quoque claro Elogium instruxit celeberrimus vir Joannes Lamius. In eodem Patavino Gymnasio, in quo Nicolaus doctrinæ præstantia claruit, alter ejusdem Germanus Frater Petrus Theologiæ laureâ donatus est: hunc sequitur Jacobus, qui rei domesticæ curæ suscepta familiam cum opibus tum honoribus nobilitavit: Balthasar denique natu minimus inter fratres Minores, quos Conventuales dicunt, cooptatus, ipso ætatis flore decessit; magnus profecto vir evasurus, si diuturnior ipsi lucis usura contigisset.

Sed his clarior, illustriorque fuit Daniel, a cujus gestis persequendis fratrum genealogia nos paululum abstraxit. Hic igitur nobile, & erectum sortitus ingenium, Parentum excitavit industriam, ut de puero erudiendo, recteque instituendo cogitarent. Horum proinde jussu Goriciam concessit, ubi sub Societatis Jesu Præceptoribus prima posuit tyrocinia literarum, eosque arbitros conscientiæ suæ plures annos habuit. Horum magisterio excultum humanioribus literis, & moribus egregie præformatum, magnum virum futurum haud inaniter plures ominabantur; quemadmodum ab orientis aurora lumine de totius diæ serenitate conficitur. Anno MDCCVII., Divino lumine collustratus, Dominicane familiæ nomen dedit Conelliani in Cænobio SS. Martini & Rosæ Venetæ B. Jacobi Salomonii Congregationis. In qua pietatem mire excoluit, institute P. Angelo Rosa Lucensi. Evoluta tyrocinii tempore consueta Religionis vota Sacramento firmavit anno insequenti decimo septimo Kal. Aprilis. In philosophianæ æxin naviter incubuit, præceptore usus P. Sebastiano Baita: Theologiam vero Venetiis hausit præsentibus Dominico Andirullio Dionysii Delphini Patriarchæ Aquilejensis amicitia & estimatione claro, ac optimarum artium in memorato Collegio instauratore, & Joanne Alberto Zanchio; a quo mense Junio MDCCXVI. Philosophiam edocendi munus consecutus est; quam Forojulli magna sui nominis fama & discipulorum utilitate professus est; ubi Theologicæ etiam disciplinas edocuit, quas postea Venetiis derivo folenter omnino, subtiliterque tractavit. Verum in docendi munere diu manere non potuit ob paulo infirmiore oculorum aciem, quam quum debilitari animadverteret, ne ipsa captus, inutilis in vinea Domini servus otia retur, concionibus componendis, singulari Dei Providentiæ voluntate, animum adjunxit, ac assidua SS. PP. læctione, longa Sacrarum Scripturarum meditatione, tanta rerum Divinarum scientiæ pectus complevit, ut vir, inter primos haberetur, qui se totos in eodem studii genere collocassent. Omnia in eo elucebant, quæ absolutum, perfectumque sacri verbi præconem constituent: formæ dignitas orationis elegans copîa, oris decor: quibus dotibus benigna præ ceteris Parens natura summam addidit canora vocis suavitatem, gratissimum in pronuntiando sonum, metum denique corporis

eum summo lepore, ac venustate conjunctum. Quae corporis animique dotes clarius etiam emicabant, quod eas cum rara morum sanctitate, atque innocentia ita conjungebat, ut non satis constaret, utrum doctior, an melior vir esset. Quae si in Oratore desint, omnia, quae in eo sunt, bona vilescunt. Quum igitur veri, summique Oratoris laude frueretur, verbis exequi vix possumus, quam avida ab illustrioribus Ecclesiarum Praesulibus expeteretur, ut conceditis oribus apostolicum impertiret eloquium. Quod quidem non persuasibilibus humanae sapientiae verbis, adulteratisque mollioris eloquentiae figuris & modulis enuntiabat, sed efficacibus verbis solidisque sententiis, quae acres vibrantesque in audientium animos invaderent, irrumperent, penetrarent, in eisque quasi quosdam aculeos relinquerent. Hinc non paucos salutis viae faciliter restituit. Quo eorum ora, si possibile esset, obstrui possent, qui Concinae modica vel nulla Christianorum utilitate e sacro suggestu dixisse nuper evulgarunt. Magno sane profectu sacri Oratoris munus exercuit Neapoli, Roma, Florentiae, Patavii, Venetiis, Mediolani, Ferrariae, Bononiae, Verona, Crema, Brixiae, Pisauri, aliisque in Urbibus, in quibus simul ac erat auditum Concinae esse dicturum subsellia ita occupabantur, & corona multiplex apparebat, ut amplioribus templis multitudini capiendae vix sufficientibus, Concinae habenda horam praeveneri quandoque cogeretur. Non ita porro Apostolico munere distinebatur, ut Viro otii impatientissimo non multum superesset temporis in librorum elucubrationibus impendendi. Ac primo ea cepit expendere, quae Agiographi Antuerpienses Tom. 1. Augusti in Commentariis ad Acta S. Dominici §. 33. & 34. memoriae falsè consignarunt. Ibi enim Minoritarum caussam agentes Divum Dominicum Paupertatem fundis, redditibusque vacuam a D. Patriarcha Francisco in Stoearam Capitulo didicisse statuunt. Tum ea subiecit examini, quae P. Raphael de Pornasio in libro de Commun. & proprio Religiosorum scripsit, quo conatur evincere Aevi sui disciplinam ab ea haud disferre, quam sub Ordinis initium servarunt sanctissimi ferme omnes Praedicatoria familiae Professores. Quum vero Pornasio opus post plures editiones, iterum prodisset anno 1723. sub Auspiciis Card. Ursini, qui postea Benedicti XIII. nomine Petri Cathedram conscendit, ac Concinae valde vereretur, ne ejus libri editio iteraretur, in quo praeter plura S. Thomae adversa, cum juvenes, tum senes scandalum pati, errandique occasionem sumere poterant; id circo primo Bollandistarum opinionem; tum Raphaelis de Pornasio opinionem convellendam assumpsit sequenti libro sub amentito nomine Caroli Antonii Plantamurae: Commentarius Historico-Apologeticus in duas dissertationes tributus; quarum altera anticriticis animadversionibus refellit ea, quae adversus paupertatis disciplinam a D. Patriarcha Dominico constitutam, intemperantiore Critice scriptis prodiderunt Continuatores Bollandi, in Commentariis nuper in acta ejusdem Patriarchae editis; altera eandem disciplinam a laxioribus P. Raphaelis de Pornasio interpretamentis vindicat. 4. Venetiis apud Stephanum Monti. Ad hujus Commentarii calcem adjecit dissertationem historicam: de Origine disciplinae regularis primum in Ord. Praed. per B. Raymundum de Vineis, XXIII. Magistrum Generalem ejusdem Ordinis instauratae: Et: Quae in oculam moralem de Regularibus Personatis: Adversus nonnullos Theologos qui desinierant, Regulares, qui Theatra & Spectacula Personati frequentant, nec excommunicationem incurrere, nec lethalius peccare.

Hoc vero opusculo manifestare capit fervens illud desiderium pro recta ex hinc pugnandi, quo jam pridem tenebatur, quodque datis occasionibus luculentius aperuit. Lucem viderat Parisiis: Dictionarium Casuum Conscientiae gallice concinnatum ab Joanne Pontasio Canonici juris Doctore notissimo, ac post varias Galliarum editiones, tandem Luxemburgi prodit latinitate donatum. Qua in editione quum nonnulla invenirentur ad gallici regni opiniones, quae non ubique obtinent, definita, occasionem inde nactus est Augustanus Interpres novam elaborandi versionem, quae aliarum gentium hominibus probaretur: neque satis se fecisse ratus, si Gallorum placita aliquot expunxisset, plura ita rescidit, ut opus non tam vertisse, quam contraxisse iudicatum sit. Hisce duabus latinis editionibus serio expensis, consilium coepit Venetus Typographus tertiam curandam, quae utriusque defectibus careret, quaeque quid boni utraque praesert, completeretur; unde opera, & studio usus est Concinae, qui edidit: Praefationem ad Lectorem & animadversiones Critico-Morales in Menda Pontasiana cum auctario duorum Casuum.

scum, qui in hoc Dictionario desiderabantur: Extant hæc in Veneta Pontasii editione apud Antonium Bortoli 1738. fol.

Post adornatam Pontasii editionem, Monastica paupertatis causam, quam in Commentario duplici egerat, retractavit, publici Juris factæ Egregio Opere: Disciplina Apostolico-Monastica, Dissertationibus Theologicis illustrata, & in duas partes tributa, in quarum una de voto paupertatis vitæ communi circumscripto, in altera de cæteris ejusdem disciplinæ Capitibus præcipuis disseritur. Accedunt selecta quædam veterum Theologorum monumenta ad Eminent. Annibalem Card. Albanum etc. Venetiis ex Typographia Balleontana 1739. 4. Concinianam Paupertatis Apologiam duo ex Dominicana familia Theologi Pius Thomas Milante Regiæ Neapolitanæ Accademiæ Professor, ac postea Stabiarum Episcopus, & Gundisalvus Carrattini enervare tentarunt, alter in Vindiciis Regularium; alter in Vita Claustrali. Horum acrioribus elucubrationibus adversariorum, quos certe mitiores habere debuisset, respondit Concina in libro, cui titulum indidit: Defensio Decretorum Concilii Tridentini, & Apostolicarum Constitutionum Romanæ Ecclesiæ adversus libros inscriptos: VITA CLAUSTRALIS, & VINDICIÆ REGULARIUM, ad BENEDICTUM XIV. 4. Bononiæ (Venetiis) 1745. Accedunt censura in censuram disciplinæ Apostolico Monasticæ, & animadversiones in Epistolam exegeticam P. Gundisalvi Carrattini, adversus quem edidit quoque epistolam: ad Polycarum Virum Cl. in qua B. Nicolai Justiniani Veneti Monacatus a Fabulis, vanisque commentis asseritur 4. Tridenti 1746.

Controversia hæc de paupertate Monastica, paucis oppugnantibus brevi extincta est: sed illico alia exoritur, quæ plures vindices nacta longo temporis spatio, magna animorum contentione perduravit. In ea enim tempora inciderat Concina, quibus sincere morum regule, ac præcipue disciplina Christiana capita tristem, deformatamque faciem præseferbant. Vigebat enim (Sed Superis, ipsique Concina grates jam ad occasum vergit) Theologia illa accommodatitia nuncupata, quæ divina & humana jura delinuit, temperat & accomodat humanis appetitionibus, tempori & personis; leges, & præcepta Dei molliter inflectit, & detorquet ad hominum desideria; ac denique ipsarum legum & præceptorum jugum non excutit, sed illud suave efficere exquisita arte, & subtilissimis lenociniis studet. Ad hunc morum tradendam modum jam pridem sibi non ardentem corrigendum emendandumque nervos omnes Concina, viresque contendit. At vero id in primis spectavit, ut Ecclesiastici Jejunii leges in tuto poneret, ac servaret. Potestatem fecerat Benedictus XIV. Fidentino Episcopo, ut quadragesimali tempore a carnium abstinentia commissum sibi gregem dispensaret. Quam facultatem prudentissimus, ac vigilantissimus Præsul ita Ovibus suis est elargitus, ut quicumque pontificia concessione uti vellent, jejunium servare tenerentur. Dura nonnullis, ac non ferenda visa est Antistitis præceptio, ut non desuerint, qui eam improbarent. Hæc causam præbuerunt doctissimo Placentino Præposito Alessandro Mantegatio, ut laudati Præsulis partes susciperet, ejusque agendi rationem vindicaret in dissertatione latina edita 1736. Mantegatii dissertationi responsum fecit Petrus Copellottus Italica Diatribe evulgata; cui Mantegatius respondit, atque in sententiæ suæ confirmationem Votum etiam obtinuit a Cl. Ludovico Antonio Muratorio, qui postea egregè admodum tulit a Mantegatio fuisse votum suum Publicis juris factum. Verum Mantegatii Apologiæ, & Muratorii voto occurrerunt Petrus Copellottus, & Bartholomæus Casalium in dissertatione Theologico-Morali critica. Neque hæc concertatio Æmilia finibus conclusa est, sed excurrrens longius Genuam quoque pervasit. Ibi siquidem Abbas Carbonara solidè & erudite opinionem Mantegatii propugnavit, & ab objectis P. Benedicti Brignole tutatus est. Ne igitur tot libris tam antiquum, ac salutare jejunii præceptum convelleretur, adversus Copellottum, & Casalium cæterosque edidit Concina, la Quaresima Appellante dal foro contenzioso d'alcuni recenti Casisti al Tribunale del buon senso; e della buona fede del Popolo Cristiano sopra quel suo precetto del Digiuno da accoppiarsi coll' uso delle carni permesso pel solo nocimento del cibo Quaresimale. 4. Venezia 1739. presso Simone Occhi. Atque hic epocha celeberrima Probabilistarum concertationis figenda est, quæ deinceps adeo ferbuit, ut nulla fuerit altercatio claustribus habita majoribus. Concinianum opus doctis Viris adeo probatum est, ut trium mensium spatio vix unum Typographo exemplar superfuerit, ut idem anno eodem prælo subjiceret. Casalium, & Copellotti quos Concina acriter jugu-

cinam exultatione disjicerent, omnique commendatione ingenii, atque virtutis spoliarent. Quo tamen libello ipse, socratica plane constantia vir, ne minimum quidem permotus est, nec iterata damnati libelli Editio responsum aliquod ab ipso potuit extorquere, contra ac aliqui praenuntiaverant. Pontifex tamen tanti hominis honori prospexit, scelestumque libellum confixit anathemate. Quare ex hac quasi excursionem ad sua castra victor, spoliisque onustus Concina rediens, Auctoribus, quos adversus Probabilissimi Historiam insurrexisset diximus, responsiones paravit, ac primo typis consignavit: Osservazioni Critiche, e Morali in Difesa della Storia del Probabilismo, e del Rigorismo contro il libro intitolato: GIUSTIFICAZIONE DI PIU' PERSONAGGI, ED ALTRI SOGGETTI RAGGUARDEVOLI IN LUCCA 1744. Pesaro 1745. appresso Niccola Gavelli, proposte in questa Lettera all' Autore di questa medesima dissertazione. Tum scripsit: Esame Teologico del libro intitolato: SAGGIO DE' SUPPLEMENTI TEOLOGICI MORALI CRITICI, DI CUI ABBISOGNA LA STORIA DEL PROBABILISMO, e RIGORISMO ec. Stampato in Lucca l'anno 1744. dal R. P. Niccolò Ghezzi. In Pesaro 1745. appresso Niccola Gavelli. Lecchio denique ac Bovio respondit sequenti Opere: Esplicazione di quattro Paradossi, che sono in voga nel nostro Secolo. Riflessioni sopra i due Libri de' RR. PP. Lecchi, e Bovio intitolati: AVVERTENZE, e DISSERTAZIONE ec. si premette un succinto ragguaglio dei Libri stampati da alcuni Probabilisti in difesa del Probabilismo, ed altri punti morali; coll' addizione di alcune brevi Osservazioni sopra l'estratto, che i RR. PP. Trivolziani hanno fatto del libro del P. Milante intitolato: VINDICIAE REGULARIUM ec. all' Eminentissimo Quirini, In 4. Lucca 1746. per gli Fratelli Marscandoli. Quod gallice etiam prodit Avenione chez Jean Girard Rue Mercerie 1751.

Sed quotidie novis prodeuntibus Probabilistarum Opusculis, ut si non rationibus, saltem librorum copia imperita multitudinem Concina causa cecidisse suaderent, hanc Deus quibusdam mentem injecit, ut Concina ad graviora & severiora studia intento, veritatis partes ipsi suscipere. Inter Concina Apologistas illustriori habitus est P. Vincentius Patuzius Veronensis insignis Theologus, Dialecticus Egregius, & ut uno verbo plura dicamus Vir laude omni major, qui sub Eusebii Eranistis nomine Epistolis Theologico-Moralibus divulgatis tanta eruditionis copia, argumentorum pondere & vi Concina, & veritatis causam egit, ut adversarios parè in desperationem conjecerit; qui tamen magnis non nisi rebus permoveri solent. Acute etiam & erudite pro veritate decertarunt Vincentus Maria Mignolus, & P. Dinellius; alique sub fictis nominibus: qua hac una de causa nobis ignota esse dolemus, quod propriis appellare non possumus, ut sua laude quisque fruere: quamquam hi scriptores praecipue laudi sibi duxerint, quod veritatem in tuto collocarint, cui tenebras offundere quidam conabantur. Ergo dum Concina Apologista adversariorum ictus fortiter exciperent, & fortius propulsarent, ipse Ecclesia utiliore operam prestare perrexit. Jam enim multiplices disputationes excitata fuerant elapsis saeculis de Usuris, & contractuum rationibus. Vertente hoc Saeculo Nicolaus Bröderfen in opere de usuris licitis & illicitis in disputationem eas iterum conjecit, pluraque docuit a Catholicis Doctoribus reprobata. Bröderfenii factum complexus est Scipio Maffei, eoque contracto suum confecit librum, cujus est titulus dell' Impiego del denaro. Quod quidem opus Italica lingua exaratum, lepore etiam & elegantia conditum a cujusvis conditionis hominibus legebatur; impellente ad id etiam quam maxime ipso Maffei nomine, quod partim propriis meritis, partim vero, & potissimum Fautorum studiis habebatur, satis clarum. At Concina per ea tempora Neapoli in Cathedrali Ecclesia Ecclesiastem agenti, damnum quod Maffei Opus inferebat, provide viri docti nuntiarunt, eique in animum induxerunt, ut in ipsum stylum acueret. Quod primo recusavit Concina cum propter Viri in Literaria Republica, ut fama ferebat, Auctoritatem, tum propter amicitiam, qua maxime gloriabatur. Vicit tamen veritatis amor. Quo obtinente librum confecit Carolo Borbonio tum Sicilia, nunc Hispanie Regi Augustissimo nuncupatum, quo diligentissime expositis cunctis ab Ecclesia circa usuras constitutis, Maffei, ejusque Antesignani Bröderfen fundamenta dissecit divulgato Opere, cujus Epigrapha: Espolizione del Dogma, che la Chiesa Romana propone a credersi intorno l'usura colla confutazione del libro intitolato: DELL' IMPIEGO DEL DENARO. 4. Napoli 1746. Per Pietro Palumbo. Quam Lucubrationem suffragiis suis & laudibus approbarunt Summus ille Polysthor Celestius Galianus, Joseph

seph Cyrillus, & Castrensis Scaja Neapolitani Athenæi Professores clarissimi. Eodem tempore Decretalem edidit Benedictus XIV. ad Patriarchas, Archiepiscopos, & Ordinarios Italia. In ea tamen nihil definitum, nihilque declaratum misistabant quidam. Circumferebantur etiam Apologia, in quibus vel ipsos manifestos errores approbatos fuisse in decretali Pontificia garriebatur. Gravissima defendenda causa necessitas Concine calcaria addidit, ut Pontificis Encyclicam illustraret; erroresque ea sublatis, ac confixos ostenderet. Quod hoc præstitit Opusculo = In Epistolam Benedicti XIV. adversus Usuram Commentarius (Eidem Pontifici consecratus) quo illustratur Doctrina Catholica: Nicolai Broederfen, & aliorum Errores refelluntur. 4. Romæ Ex Typographia Palladis apud Nicolaum, & Marcum Palearinos 1746. Doctrinam uno hocce opere traditam uberius exposuit altero ingenii sui monumento, hoc titulo insignito = Usura Contractus Trini Dissertationibus Historico-Theologicis demonstrata adversus mollioris Ethices Casuistas, & Nicolaum Broederfen Accedunt Appendices duæ ad Commentarium Auctoris adversus Usuram. 4. Romæ ex Typographia Palladis = Quo in libro quid Ecclesie Patres, quidve Scholastici Doctores de sænore senserint ad examen revocavit, impellente Eminentissimo Quirinio, qui illustre S. Basilii Magni dictum, quamlibet usuram excludens, Concine indicaverat.

Iustitiâ a Fœnore vindicata, qui jejunii leges Casuistarum libris proculcatas intrepidus Theologus defenderat, eas denuo vindicare coactus est Evangelicus Orator. Quum enim Romæ e publico suggestu jejunii abusus, quos inter immoderatum coccolatis haustum adnumeraverat, Christiana libertate damnaisset, indeque delicatior animi veluti injuria affecti per Urbem disseminassent, Concine imprudenter, & nimis rigide docuisse, omnes indiscriminim peccare mortaliter, qui jejunii die coccolatum degustassent, ut se ab hac calumnia liberaret, atque evangelicam, quam insinuaverat, doctrinam confirmaret, altera luce ab eodem suggestu maxima, ut mos erat, populi frequentia, omnes Auditores in testimonium vocat, talia nunquam protulisse ingenuo ore fatetur, eadem verba referens, quæ priori concione ipsi rectus morum doctrinæ zelus dictaverat. Porro cum ejusmodi sincera protestatio veluti doctrina sua de coccolatis portione rejectio apud benigniores Theologos, eorumque Affectas audiret, præque omnes Italiae Urbes propagaretur, ne laxior de jejunio doctrina abs gravitate Viri, & loci misestate, unde produsse calamitiosa fama ferebatur, majores vires acquireret, satius consultum esse duxit typis edere Opusculum, cui titulus = Memorie Storiche sopra l'uso della Cioccolata in tempo di Digjuno esposto in una Lettera a Monsignor Illustrissimo, e Reverendissimo Arcivescovo N. N. 8. Venezia appresso Simone Occhi 1748.

Sed Viri Patrum doctrina, & Theologorum Illustriorum eruditione longe Clarissimo nimis ingens videbatur Casuistarum numerus, qui libros morum integritati noxios evulgaverant, quam ut singularis argumenti elucubrationis posset occurrere. Quare, suadente etiam Benedicto XIV. sanioris doctrine vindice præclarissimo, ut probabilissimo uno veluti ictu caput auferret, universam morum doctrinam pertractandam assumpsit, vulgavitque auro cedroque dignum Opus hoc titulo = Theologia Christiana Dogmatico--Moralis Summa P. Benedicto XIV. feliciter regnanti nuncupata, in decem Tomos tributa. Quibus accedit Apparatus duobus Tomis comprehensus. Quorum alter præter Decreta, & Constitutiones Pontificias fidei, morumque rectam tradentes normam, de locis Theologicis, sive de purioris Ethices Christianæ fontibus librum exhibet; alter vero conscientiæ, & Probabilissimi argumenta duobus distinctis libris pertractat. 4. Tom. XII. Venetiis apud Sim. Occhi 1749. = Hanc autem Theologiam appellare ipsi libuit Christianam, ut ab Ethnicorum Ethice secerneret. Methodum in ea conscribenda facilem, & familiarem adhibuit, suasque Theses verbo Dei scripto, traditione, Patribus & Conciliis, firmavit, munit, roboravit, ex iis denique fontibus momenta & rationes hausit, quos Melchior Canus nobili illo, æternoque volumine de locis Theologicis complexus est. Quoad stylum spectat; jam ipse animo infederat, & quidem recta, Theologiam implicatos verborum circuitus, translationes longius quasitas, inanes Rhetorum flosculos, ac denique sucti eloquii lenocinia præ sua dignitate non tam negligere, quam aspernari; unde stylo usus est didascalico, valido quandoque, acri, & vehementi, quem acuit, & temperavit pro ut argumenti ratio postulabat, ut legentium præjudiciis auferendis

aptior esset : a qua scribendi methodo non recessisse Patres norunt ; qui eorum scripta vel leviter attigerunt . Quot proinde plaufibus a junioris Doctrina Theologis eximium Opus exceptum sit , luculenter produunt iterata brevi temporis intervallo Editiones . Mille fere Exemplaria per Hispanias diffudit zelo , doctrinaque spectatissimus Henricus Henriquez ad Philippum V. Apostolicus Nuntius , ac demum S. R. E. Card. , qui quum Romam accessurus esset , ut galero præcipuo Cardinalatus insigni donaretur , data Epistola significavit se non iam latari , quod Romam Cardinalatus honore ornandus conveniret ; quam quod tunc sibi fieret potestas Concina colloquiis persuendi , cuius laboribus , & honoribus jam Hispania tota resonabat . Illustriores etiam Italia , aliarumve gentium in assidua suorum ovium vigilantia manentes Antistites , Universitatum Doctores , ac denique Viri alii doctissimi memoratum opus exornarunt laudibus , & sententias in eo propugnatas excipientes , publicis in Theatris , disputationibus , immo Concionibus tutati sunt , ac denique Clericis , qui in Collegiis , & Seminariis Republicæ Christianæ bono aluntur , exposuerunt , sequendumque tradiderunt . Ex quorum multos Concina habuit sectatores , ut ab eo non pauci , qui Concinistæ , nuncupantur , nomen acceperint . Quod non nisi moratis viris compertum est accidisse .

Verum quia plurimorum placita Theologorum , ut privatus Theologus , non ut Iudex reseraverat , eorumque laxas opiniones meridiana luce clarius legentium oculis subjecerat , hinc nonnulli illi constarunt invidiam , quæ magnam virtutem solet insectari , ut lucem umbra , quasi sui cæcus Theologos parvi facisset , partaque in literario ludo gloria spoliare , ac privare constitisset . Ut ab se procul hanc repelleret calumniam , testimonium edidit pro incolyta Societate Jesu , quod Cap. XIII. Præfat. tom. I. Theologiæ Christianæ legitur . Ubi eidem Societati grande instruit elogium ; eaque repetit , quæ prodierat in prioribus ingenii sui lucubrationibus ; ne quisquam suspicaret , ut laudatum testimonium = aut tempestatis alicujus evadendæ , periculique declinandi causa , aut assentandi (a quo vitio quam longissime aberat) aut humani favoris , gratiæque captandæ studio extortum esse = Et post pauca causam suam sic exponit : = Oppugnavi quidem cum aliorum Ordinum , tum Societatis quorumdam Auctorum opiniones , quas falsas reputavi , non ut hominis carperem , vellicaremque ; sed solum ut perniciofa opinandi methodo convulsa , veritatem pro modulo meo in tuto collocarem , & a cavillationibus adfererem . Quamobrem illorum semper , quoad fieri potuit lapsus excusavi : piam eisdem habuisse , sanctamque intentionem prospiciendi humanæ infirmitati , & reddendi viam salutis planiorem tentatus sum , & tandem privatorum hominum aberrationes non esse in Communitatem ipsam regendas semper admonui , atque inculcavi = Verum quæ Concina ingenue fassus est , non id pervicere , ne ejus Adversarii apud Pontificem non agerent , ut Christiana Theologia toto Orbe exularet . Anno MDCCII. post celebrata generalia Comitia , electus Præses P. Ignatius Vicecomes totius nomine Societatis libellam supplicem Supremo Ecclesiæ Hierarchy obtulit ; utque Operis Conciniæ proscriptionem facilius obtineret , non dubitavit asserere = Nullum hactenus librum , ne ab Hæreticis quidem prodidisse Societati infensorem , ac perniciosiorem : nullum , qui pluribus imposturis , conviciis , & injuriis debacchationibus scateat ; nullum , qui venenum contra Societatem in aliis dispersum plenius in unum colligat = Quo circa ut damni reparationem consequeretur suppliciter , ac demississime petebat , ut Christianam Theologiam Petri gladio perstringeret ; sique beneficia Societati collata Conciniæ Operis proscriptione canularer .

Ea prudentia , quæ erat Opus , exposcentium acta excepit Pontifex , utque rem expediret gravissimam , tres legit Theologos Thomam Sergium ex piis Operariis , P. Mancinum ex Minimorum familia , ac P. Vezzolium Clericum Regularem Theatinum . His Conciniæ Operis ad examen revocandi cura , laborque mandat : addita ab eodem Pontifice jussione , Sacramenti etiam Religione firmata , de Secretis servando . At Summi Sacerdotis Sacramentum , quod abscondere bonum erat , quo fato nescimus , in vulgus emanavit ; indeque ansam arripere adversarii Conciniæ Theologiæ proscriptionem acrius urgendi ; quod eis pro votis cessisset , si Pontifex suffragiis aliquid detulisset trium Theologorum , quos in sum sententiam adversarii iidem callide , versuteque pertraxerant . Jussit ergo Pontifex , de proscriptione Operis ne verbo quidem facto , ut præfati Theologi ea adnotarent , quæ aut censura digna deprehenderent ,

XXVII.

vent, si quidem deprehenderent, in Christiana Theologia, aut in religiosos homines minus reverenter prolata. Sed viginti Censores, præter tres memoratos, licet ipsos apices morose, fastidioseque cribrarint, ne unam quidem, aut equo rigidiorum, aut plus equo laxiorum assererent sententiam. Quod iis Ora obstruere tandem deberet, si possibile foret, qui eximium opus veluti merum, putidumque rigorismum ineptissime traducunt, idque, quod mirandum magis, vel si etiam blaterant, qui ne una quidem perlecta pagella, sed quorundam verbis unice abrepti, de stylo, & doctrina temere, imprudenterque pronunciant. Leviora porro Censores quædam, ac etiam typographicos errores descripserunt volumine illo, quod Pontifici obtulerunt: Qui quum adversariorum querelas parum equas perspicens, ut pro merito causa iudicium ferret Italicam Declarationem distulit, eamque Antonino Bremondio Supremo Prædicatorii Ordinis Præsuli tradidit, ut eandem Concina latinam faceret Theologiæ Christianæ postea præfigendam. Sed Concina, ne Pontificis verbis alium ac præfererentem sensum tribuisse vulgaretur, ab Ordinis Magistro obtinuit, ut hanc Spartam alter adornaret. Quod exactè præstitit Vincentius Maria Dinellius Cathedralicus Casanatensis. Hanc porro declarationem, cui ineptissime nonnulli Palmodia nomen affinxerunt, Conciniæ Theologiæ nec minimum officere, sed levioris tantum mentis homines in suspicionem adducere, palam facere, foret inutile: nam momentis, quæ adferri possent, ipsa videtur præferenda Adversariorum confessio; qui quum eandem Italico idiomate edidissent, ut meliorem fortunam nancisceretur; & contra eos, qui hærebant adhuc, ab eorum Castris discessisse, ac veritati lumina aperuisse cognovissent, mutato consilio omnem adhibuerunt operam, ut oblivione periret, æternum tamen mansura est, æternumque victura ad perenne Conciniæ candoris, & irreprehensibilis doctrinæ monumentum.

Quæ hucusque notavimus, jam omnibus rem compertam faciunt, Concina conatus eo spectasse solum, ut rectam traderet, incorruptamque morum doctrinam: Quam quum præcipue callere ii debeant, qui confessiones fidelium excipiunt; hinc ad tam arduum, sanctumque ministerium rectè obeundum commentarium edidit, qui tamen in Theologia quoque Christiana perlegitur. Prodiit autem hoc titulo = De Sacramento Pœnitentiæ, eique Ministro Commentarius Dogmatico--Moralis = Romæ 1750. Eundem ad finem, & scopum direxit aliud Opusculum, cui titulum prætulit = De Sacramentali Absolutione impertienda, aut diferenda Recidivis, & Consuetudinariis disputatio Theologica Romæ 1751. De quo argumento disserit iterum sequenti libro = Instruzione dei Confessori, e dei Penitenti per ammaistare, e frequentare degnamente il SS. Sacramento della Penitenza. Venezia presso Simone Occhi 1753., 8.

Ejusmodi pro animarum salutis muniantis, ulteriora, eaque ampliora præbere desistit nunquam. Jam pridem secum animo perpenderat Theatralia spectacula spectantium mores scelerare, vitiorumque, ac scelerum omnium non injuria Gymnasia dici posse. Quare ut hanc perniciem, quantum ipse valebat, eliminaret, opus confecit, quod prodiit hoc titulo = De Spectaculis Theatralibus Christiano cuique tum Laico, tum Clerico veteris disputationes duæ. Accedit dissertatio tertia de Presbyteris personis. 4. Romæ ex Typographia Apollinæ 1752. apud Hæredes Joannis Laurentii Barbiellini (a) Prodiit Concinianum Opus sub Auspiciis Andreae Majo-

[a] Capite autem XXIX. Primæ Dissertationis Pag. 240. §. unico brevis legitur refutatio Italici Sermonis de Comica Artis laudibus editi a Jano Planco Ariminenfi Medico, cujus nomen reticuit Concina, ne majori pudore suffunderetur, nos vero, ut Historicos decet, palam facimus. Præter multa, quæ hic Istrionum, & Mimatum præco congestit, hæc, quæ subijcimus, animadversione digniora videntur, & castigatione severiore. Postquam enim docuisset nullam extare legem, quæ mimicæ artis executores infamia notet, S. Thomam adducit, vir ne dum totius Theologiæ, sed etiam Christianæ Religionis principiorum profus ignarus. Virgam deinde Censoriam in Sacram Ecclesiæ Gallicanæ disciplinam extendere non reformidans, ipsique sivi rigorismi calumniam inrens, insolentissime scribit Gallos ex legibus quibusdam male perceptis, & pessime intellectis Ecclesiasticam Sepulturam Mimis denegare. Laudat propterea Anglos, Gallicane Ecclesiæ Synagogam Anglorum præferens, qui strenuam, & ditissimam Fœminam Odfield, eo in loco sepultura affecerunt, quo eorum Reges & coronantur, & sepelliuntur, additque iisdem prope honoribus affectam fuisse, quibus immortalis elatus est Newton. Ut vero Auditori-

Majoralii Valentini Archiepiscopi, qui ceu novus Crisostomus, (cujus opera imperante Arcadio, celebre Theatrum Majorum dictum fuisse eversum, narrat Barronius ad A. 399.) velis omnibus ut ajunt, remisque contenderat apud Hispaniarum Regem, ut Valentinum scenarum Theatrum amplum satis solo aquaretur, illudque, quo antea Christianorum vitiis fovendis humani generis hostis utebatur, piis deinde usibus inserviret. Quæ proro animi voluntate Concilianum laborem exceperit vigilantissimus Præsul, luculentum testimonium prebet Epistola quinto decimo Kal. Januariæ. A. 1752. ad Concina dicta, cujus aliquot verba hæc placet exscribere = Adhuc, inquit, multo majori gaudio cumulamur præfagientes, quod sicut in hac nostra Civitate, Ferdinando Piissimo Hispaniarum Rege favente, ac opem ferente, omnibusque adversantium contradictionibus superatis, Theatrum vere superbum evertimus, soloque æquavimus, ac ipsa Theatralia Spectacula in perpetuum toto in Valentino Regno de medio tolli curavimus: sic etiam efficacia morum, hortatum in cæteris Hispaniarum Diocæsisbus idem continget; præsertim quum jam antea in Diocæsisbus Hispalensi, Cordubensi, Concheni, & nuperrime in Burgeni, Palentina, Calaguritana, Placentina, & Illerdensi (cujus rei notitia libenti animo Tibi futuram esse conjicio) Theatralia Spectacula omnino expuncta sint. & repulsa = Non ita multo post Concina incredulorum insaniam profigan-

dam

bus Comicæ artis amorem dulcius ingereret, ejusque præstantiam acrius inculcasset, illis in memoriam revocat S. Genesium, a quo Ariminensis Urbis princeps Porta nomen suum sortita est. Hunc in Theatro fidem Christi professum narrat, eaque ratione a Mimis in Patronum suum fuisse adscitum. Quum tamen Ecclesiastica constet Historia S. Genesium paganicæ superstitionis caligine primo obcæcatum, ac dein Fidem Christi complexum, mimicam artem fuisse execratum. Inepte proinde tamquam Patronus flagitiorum a Mimis colitur, non secus ac si fur s, & grassatores suorum scelerum vindicem S. Latronem venerarentur, qui ad Jesu Christi Latus crucifixus est. Concives deinde suos adhortatur, ut comicam artem excolant, ac in prædium præcipue quum Ariminensis Urbis non multum a Patria distet Pauli celeberrimi Comædiarum Scriptoris. Ac denique ad criminis sui complementum sermoni suo finem imponens, cui vel initium facere quemquam Christianum hominem pudere debuisset, ad triobolarem feminam se convertit, in cujus gratiam se, & Accademiam, qua eam pro concione laudaret, coegisse, & sermonem suum tenuem & qualemcumque (certe nihil mollius & pejus) se conscripsisse fateatur. Græcias ipsi agit quam maximas, quod Ariminensium animos voce, gestuque suo exhilaraverit, eamque admonet, ut convicia, & scommata (quibus non immerito fortasse oneratus est) quæ in eandem quidam, virtutis, ut ipse scribit, iniqui æstimatores, evolverant, parvi faciat, quum sua ipsius virtus se habuerit laudatorem, qui cæteris pænitus uniuscujusque merita discernit. Quæ omnia quum tot pæne calumnias, & mendacia contineant, quot verba, non injuria Danieli Concina stomachum moverunt, ut Janum Plancum, Medicum tanti nominis plantino sale perfricaret, editique ab eo sermonis anacephaleosim faceret, eumque Christiana libertate exagitaret. Certè Concinae animadversionibus Amonis Comici non nihil convulsus est. Adeo proinde Plancus, qui se philosophum non ultimum censet, excanduit, & exarsit, ut voce sua virulentissima perpetuum bellum indicere Concinae constituerit, ne dum in humanis agenti, sed mortuo etiam, quod abjectissimi, & vilissimi animi est bestisque solummodo reservatum. Ubi cumque enim sermo de Concina occurrit, cum ceu virum indoctum, & fanaticum traducit, non advertens se falso hæc in tanto viro damnare, quibus ipse ad miraculum excellit. Eo etiam temeratis, & atrogantiæ devenisse Plancum accepimus, dum Bononiæ mense sextili elapsi anni moraretur, ut iurbane Religiosum juvenem exceperit; quem noverat Concinae addictum, de ejusque vita, & studiis commentatiolum edidisse. Nulla enim interposita mora in Concina acriter adeo invectus est, ut cunctos, qui in frequentissima caupona aderant, ad risum, uti semper solet, atrabiliari debachatione provocaverit. Hæc autem, quæ hætenus justa ira commoti in Plancum diximus, quæque extra rem dicta quidam judicare possent, eo animo protulimus, ut qui eundem de Concina dicentem, imposterum sunt audituri, causam intelligant debachationum, & conviciorum, quibus continuo eximii hominis manibus insultare nunquam cessat. =

dam suscepit Auctore potissimum Benedicto XIV., quo suadente Theatris superiori libro bellum indixerat. *Valgatum est Opus hoc titulo = Della Religione rivelata contro gli Ateisti, Materialisti, Indifferentisti, che negano le verità de' Misterj -- libri cinque 4. Vol. 2. In Venezia appresso Simone Occhi 1754. Alla Maestà di Carlo Emmanuele Re di Sardegna = Conciniana de Spectaculis Theatralibus opinio haud arrisit Scipioni Maffeo, illustri genere natus, & virtute ac pietate multo superior, cujus opera Veronense Theatrum iustauratum fuerat. Unde ingenium suum in Concinam experiri voluit in libro De' Teatri Antichi e Moderni. Qua posteriora utpote veteribus magis castigata, Christianorum moribus labem haud quaquam inferre contendit. Sed celeberrimi Antiquitatis perscrutatoris doctrinam propulsavit noster Theologus, sui Operis edita Apologia, cujus Epitaphium = De' Teatri Moderni contrarij alla Professione Critiana libri due del P. Dantello Concina in conferma delle sue Dissertazioni DE SPECTACULIS THEATRALIBUS alla Santità di Benedetto XIV. 4. Roma 1755. presso gli Eredi Barbiellini. Quam disputationem ita solide tractasse, ut extra concertationis aleam sit, multorum opinio est.*

Supereft nunc, ut de postremis Auctoris operibus disseramus, quod paucis absolvimus. Hoc eod anno 1755. complexus est tribus libris Thomae Ferrarii Card. ex Ord. Præd. assumpti gesta, ut Benedicto XIV. rem gratam faceret, qui eodem Cardinali doctissimo præceptore gloriabatur, cujusque sæpius familiariter Concinam alloquens non sine laude merita celebrabat. Prodiit opusculum hoc titulo: De Vita & rebus gestis P. Thomæ Mariæ Ferrarii Ord. Præd. S. R. E. Card. Tit. S. Clem. libri tres. 4. Romæ apud Hæredes Joannis Barbiellini: Quorundam tamen studiis detruncatum prodiisse fama non incerta nuntiavit. Scripsit deinde nonnullas Epistolas adversus Carolum Nocetium, quæ vulgatæ sunt cum hoc titulo: Ad R. P. Carolum Nocetium Epistolæ octo de singularibus Argumentis in ejusdem libro VERITAS VINDICATA contentis. Accedunt opiniones lxxæ quamplurimæ ex variis Casibus collectæ. Item Censura R. P. Eusebii Amore Canonici Lateranensis in Theologiam moralem R. P. C. L. G. Item Epistola nona ad eundem P. Carolum Nocetium de nonnullis ejusdem antithetis in Epistola secunda P. M. Dinelli. 4. Venetiis 1755. apud Simonem Occhi.

Quæ hætenus memoravimus Concina superstitè edita sunt. Post ejus funus lucem vidit Venetiis 1760. apud Simonem Occhi Theologia Christianæ Compendium, cujus editio, præ quorundem machinatione, tantu fuerat dilata. Altera editio ejusdem Compendii correctior, & auctior prodiit, non quidem Venetiis ut legitur in fronte libri, sed Bononiæ ex Typographia D. Thomæ Aquinatis. Nulla ex hætenus memoratis editionibus genuino Theologia Christianæ Compendio, a Cl. P. Concina elaborato accurate respondet. Quamobrem cum de eo typis vulgando editor Luganensis cogitaret, ipsum P. Concina Autographum consulere constituit, ex illo hujus Compendii exemplar diligentissime exscribi curavit, in quo quæ perperam vel refecta, vel immutata fuerant omnia ad unguem restituta sunt. Addidit etiam appendixem quæ in Bononiensi quoque editione legitur, quam tamen multis additamentis locupletavit, in quibus præcipue numerandus est hic commentarius historicus vita & studiorum P. Danielis Concina. Aliorum opera magis contractum prodiit Venetiis typis Occhi cum hoc titulo: Manuale Concinae seu Theologia Christiana Dogmatico Moralis a P. Daniele Concina Ord. Præd. euebrata, præiore contractior. Opus Confessariis omnibus perutile, Sac. dotibus vero ad Excipiendas confessiones examinandis, nec non Ecclesiasticis Seminariorum Alumnis pernecessarium. Adjectis ad calcem definitionibus ad examen subeundam necessariis, atque opportunis.

Ex iis porro, quæ a Concina literis prodita memoravimus, evincitur satis luculenter; ipsum incomparabili zelo præstitisse pro saniori doctrina vindicanda, nihilque aliud præ oculis habuisse, quam ut benignioris doctrine Magistros coerceret, eorum sententias a mentibus hominum depelleret, lenocinia, ac blanditias palam faceret, corruptos denique mores hominum tot Consiliarum voluminibus, caritatis studio incensus ad sanitatem revocaret. Eo spectabant vigilie, eo sermones & conciones omnes & libri zelo plane mirabili exarati, & celesti unctioe perfusi vel duriora corda emollientes, eaque, quæ carni, & sanguini aspriora sunt, solide suadentes. Nil proinde mirum si pro tuenda veritate semper steterit infractus; ac stilo modo atri, modo mitiori, modo leporibus asperso, prout effracius veritati asserende, & dividende falsitati conducere arbitrabatur, nunquam a proposito recesserit oppugnandi evulgatores opinionum moribus non utilium. Hinc ejus pectoris constantiam dimovere, fortitudinem animi turbare, vultus

vultus, ac mentis serenitatem minuere non valuerunt mina, calumnia, & contumelia, quibus illius nomen obscurare nonnulli pertentarent. Is enim vir erat, qui nec benedictione, nec maledictione movebatur. Ut enim laudes resque prosperas non magni faciebat, ita adversos fortuna casus invicto animo tollerabat. Et quod ejus fortitudinem magis prodit, vix novit ea, nedum persensit, quibus homines commoveri solent ac deiici. Quod accidisse notum est, famoso in ipsum edito libello, quo insolenter sane, ac truculente ceu Virum atrociorum Criminum conscium representare & exprimere irrito conatu contenderunt. Hæc enim ludibria, quibus hujuscemodi homines eos facile onerant, qui eorum placita, & desideria pecudum more non sequuntur, multo ante Concina præviderat, seque ad ea fortiter subeunda comparaverat singularis patientiæ munimento. Hinc pios animi sensus identidem pròbebat, quorum specimen in alloquio ad Christum Jesum Cap. XIV. Præfat. ad Theologiam Christianam Scriptum reliquit. In hoc præsertim certamine, agebat (S. XI.) tu Christe Jesu, insignè exemplar nobis fuisti. Quæ non sustinuiti veritatis asserendæ causa? Quæ non pertulerunt omnes servi tui? Inimicus vobis factus sum verum dicens vobis (ad Gal. IV.) Quid itaque mirum si in me quoque misellum homunculum doctrinæ tuæ assertorem maledicta, dictæria, scommata, calumnias atrocissimas intorqueant? Quid mirum si ciere turbis, si commovere procellas, si concitare turbines, & tempestatibus incredibili versutia fatagant muudi homines? Propterea ne verendum mihi, desistendumque ab inceptis? Desicrem tum continuo abs te Duce, & exemplari certandi in hoc agone. Irruant in me turmatim adversarii mei, clamentque durum esse sermonem meum, sicut durum dixerunt sermonem tuum: DURUS EST HIC SERMO: non trepidabo a facie eorum. Quoniam tu Domine Deus dixisti: SCUTO CIRCUMDABIT TE VERITAS EJUS: NON TIMEBIS A TIMORE NOCTURNO. Quam certe animi fortitudinem ad extremum usque vite terminum servavit invictam.

Constantiæ par omnino fuit humilitas, qua despici & contemni ab omnibus vehementer optabat: & licet sapientia doctrinæque laude eatenus processisset, ut Europæ magnam partem suæ admiratione virtutis complevisset, nunquam tamen quemquam ludibrio habuit, nec arrogantis animi præbuit indicium, sed eandem semper animi demissionem, modestiamque retinens, quam cum Dominicani Instituti vestibis induit, inclyta religiosi animi virtute suspiciendaque moderatione sua ipse fama visus est major. Honoribus nunquam animum adiecit, ne fulgentioribus quidem, qui per ignem, ut ita dicam, ferrumque peti solent. Quod omnibus perspectum, quibus Concina agentis ratio cognita fuit. Qui proinde uno ore predicabant: plurimos quidem in spe fructus arare Concinam vero omni abjecti spe militare. Amicis vero laborum præmium exoptantibus aliis etiam callide versuteque animum pertentantibus subiratius respondebat: malle se ad abjectissimum vite statum detrudi, quam aliqua dignitate vel Ecclesiastico munere onerari: Quod verbis non solum, sed factis quoque testatum voluit: supremam enim Congregationis suæ præfecturam a P. Thomæ Ripollis Ordinis Generali Magistro oblatam, modeste recusavit. De ingenii sui lucubrationibus, quas exterorum etiam idiomatibus nonnullas redditas videbat, ac non semel sub prælo sudare non ita sibi blandiebatur, ut alienas respueret, quod leves plerumque homines faciunt; sed contuens unice Christiana Reipublica utilitatem, quasi non satis morum doctrinæ cultoribus propriis operibus consulisset, alienis quoque locupletavit: Ipsi enim debentur editiones Joannis Pontalii, Jacobi Besombes & Pauli Gabrielis Antoine S. I.; quorum operibus literaria reipublica, plurimum jurata est.

Caritate maxima erat affectus. Rudibus Catholica Religionis arcanis imbuendis plures annos præclaram impendit operam; quos ita studiosè amanterque diligebat, ut oblato in celeberrimo templo Concionum habendarum honore, si ab illo demissione, uti reputabant, ministerio cessaret, maluerit nuncium remittere, quam ab humili caritatis officio desistere. Atque ut doctrinæ suæ fontes in eos effunderet, Christianam Catechesim exaravit, quæ tamen nondum publici juris facta est.

Summa fuit Concina in Deum pietas: & devotio: familiaris sermo de ejus implenda voluntate, de ejusdem formidandis judiciis, ac denique de rerum contemptu terrenarum. Quam loquendi rationem ita ardentem instituebat, ut ipse, & audientes lacrymarentur. Florentiæ enim post expertis Lucenses aquas commoratus, cum præter plures generis nobilitate clarissimos, ad eum invisendum Principes Corsinii advenissent, tanta animi vi, tantaque facundia

de presentium rerum caducitate, deque futurorum bonorum praesentia differuit, ut ipse lacrymas emitteret, unaque cum eo lugerent cuncti, quod humanissime nobis significavit doctrina & eruditione celeberrimus Petrus Franciscus Fogginius, qui haec non audita, sed cognita predicavit.

Post sacrum quotidie peractum, flexis sepulchro genibus supra horae dimidium Evangelium perlegebat, piaque contemplatione meditabatur, quo constat castioris doctrinae zelum, qui mirifice in ipso enituit, non fervidae mentis viribus tribuendum, sed sincero cordi de Evangelica luce depromenti assignandum.

Sed magnam summis tanti Viri virtutibus injuriam facere videremur, si cunctas ex latissimo in quo vagantur campo, in exiguum sane gyrum conaremur includere. Quamobrem satius esse censemur silentio praeterire. Hoc unum affirmantes, eum pietatem & incorruptos mores, quibus inviduae aetate diximus praestitisse ad extremum usque diem excoluisse, ad eamque vitae rationem, quam & scriptis, & voce gentibus manifestavit, si suosque mores conformasse, ut proinde non tam faciendae scripsisse constet, quam scribenda fecisse: Quos viros Beatissimos appellarunt Veteres. Nam vitae morumque magistri, si secus vivant quam docent, si legibus, quas aliis inculcant, continentiae virtutumque omnium ipsi non obtemperant, magna ex parte doctrinae commendationem videntur evertere. Quam amplissimam omnium artium bene vivendi disciplinam Concina non solum litteris, verum etiam moribus est persecutus.

Quas percensuimus virtutes Christianam perfectionem constituunt, ac hominem quemque informare debent. In his proinde Concina non solum se exercere studuit, sed eas quoque coluit, quae in Viri sacris addictio apparere debent. Quare regularis disciplina fuit integerrimus custos; cujus nec apices negligebat; ut nonnullis supersticiosior visus sit: si tamen in hiis, quibus aeternam salutem operamur, nimia cura esse potest. Confratres suos ad amplexati Instituti leges conservandas custodiendasque jugiter excitabat. Hinc ejus exhortationibus vel lectione librorum plures ad religiosa carochia convolarunt; alii ut securioris vitae Institutum amplecterentur vel ex ipsa Lusitania ad austeriores Italorum Conventus se contulerunt. Ipse praebat omnibus exemplo. Consueti Dominicani Ordinis septem anni mensium prolixa jejunia, perpetuamque a carnibus abstinentiam inviolate custodivit, imo postremos viginti suae vitae annos rigido jejunio peregit. Vir cibi minimi semel in die tantum viliori esca utebatur, neglectoque omni alio cibo, & potu, modicam tantum equam sumebat. Durior proinde paucissima mensa disciplina disciplina jugesque lucubrationum Vigiliae adeo viris imminuerant, corpusque affixerant, ut musculorum dorsi, dextraeque manus paralyti correptus fuerit, seroque nimis medica Artis levamina, quae per annum neglexerat, ipse adsciscere tentaverit. Primo Fesulas, ut salubriori illius regionis Coelo fueretur; deinde Lucam Thermalium aquarum beneficium experturus concessit. Qua in Urbe in ejusdem Adversariiis, ne injuriarum, quas falso Concinam sibi intulisse jactabant, praeter morem obliti viderentur, tamolium libellum quem & ipsi tenebris multaverant, in diem denuo prodiderunt, ac in Symposio non infima nobilitatis sed bonorum hominum Corona mensa assidentes excreati sunt; Concina autem patientissime tulit. Igitur fere nullo ex Fesulano aere, ex Lucensibus aquis levamento percepto Florentiam se recepit; ubi a nobilissima Urbis viris Principibus gratissime exceptus est, qui ut ejus valetudini prospicerent, ultro ipsi cuncta exhibuerunt, quae ad morbi vim auferendam quoquo modo facere videbantur. Sed Florentinorum comitatem in sui commodum transferre noluit Concina, maluitque Venetias iter accelerare, ut vitae spatium suos inter Religiosos completeret. Venetias redux 1755 vitioso rheumate ad praeterea affectus est: attamen solerti cura, & peritissimi Archiatri studio ita levatus videbatur, ut tardius quam evenit, vitam morte commutaturum sperarent. Sed dies Februarii vigesima usque anni breviorum ipsi attulit lucis usuram: Ea namque novus accessus rheumatis Concinam aggressus est: qui quum ipsi spiritum elideret, breviter moriturum universi timerunt. Vita tamen discrimen ipse imperterritus sensit; factaque Exhomologesi integerrimo, doctissimoque Viri Fulgentio Cuviliato, ac media nocte Christi corpore ad aernitatem Viatico religiosissime sumpto, primo Sole Sacro exeunium Oleo inunctus est. Tum a gravi Viri interrogatus num tot opera altercandi prurigne, ut nonnulli putabant, actus, animoque malevolentis suffuso conscripsisset, Crucifixi complexus imaginem, eamque sancte testatus, ad solius Catholicae Ecclesiae utilitatem, animarumque Christi sanguine redemptarum salutem.

salutem se edidisse pronuntiavit. Sic igitur comparatus unice postulavit, ut pro se preces dicerentur, quas Ecclesia in agone constitutis præcipit recitari, quibus clara voce, prontoque spiritu respondit. Reliquum vero tempus, quo semper integris sensibus, lucidaque mente a Deo donatus fuerat, a quo gratiam hanc quotidiana oratione exposcebat, in ferventioribus virtutum actibus eliciendis intumpit. Diem illam felicem, faustamque sibi appellabat: cito ad Deum rapi expetebat; diem agonis cruciatum levem nimis fatebatur; majoresque dolores pati exoptabat, ut Christo & martyribus conformior inveniretur. Fratres denique circumstantes, ubertimque flentis admonuit, ut consuetam ad Desiparam Salve Regina nuncupatum hymnum incipere; ad cuius finem erectis in Cælum luminibus, dulci, altaque quiete, placido veluti simillima somno oppressus est X. Kal. Martias hora XVI. Anno MDCCLVI. Annos natus LXVIII. Menses IV. Effulsit in Concina perspicacitas ingenii summa, iudicium acre ac solidum, abstrusioribus disciplinis meditandis vero comparatum: feracissima memoria, ampla singularisque PP. & Theologorum eruditio pertinaci fere quotidiano horarum duodecim studio & labore parva: mira diendi scribendique facilitas, qua incorrupta doctrina semper exposuit. Erat animo æquo & sincero ab offensione remotissimo; nec ea usquam adumbrari veritatem passus est: Hinc factum, ut magni facerent omnes, non omnes diligenter. Vir fuit Concina Dominicana familie lumen splendidissimum, morum doctrina accerrimus assertor & vindex: Ecclesia fidelis Minister. Vero zelo Demus Dei succensus: iis denique ornatus virtutibus, ut quicumque scripta ejus & Rationes paulo attentius considerarent, redivivam in ipso pristorum Patrum cernerent vetustatem. Quod si habitum quoque ejus Posterius noscere velint, sciant naturam quam in tot animi virtutibus tribuendis fauricem habuit, beneficam quæque in corpore experiri esse. Statura corporis fuit iusta; æquali & apta dispositione membrorum: facie hilari ac tranquilla, ut serena quædam comitate accurrentium animos alliceret: pleniore vultu, venusto colore, oculis vividis, visu paulo hebetiore: rutilo ore, subrubido crine, qui letiorem frontem decenter ornabat: valetudinem studia & castigatio corporis ut diximus maruerunt infirmarunt. Ea, dum in humanis ageret, ejus doctrina opinio fuit, ut nulla res tam ardua, tam consilii egens in questionem deduceretur, quæ non ejus iudicio committenda videretur; ac tam multa ad eum defererentur Cause difficiles atque contorta, ut nulla ipsi quietis pars relinqueretur: quas ille causas singulari doctrina, prudentia, & mirifica illa sua in animi sensibus explicandis perspicacia ex incertis certas, ex dubiis exploratas, ex implicitis explicatas facile reddebat. Hæc Benedictum XIV. impulerunt, ut Concina Card. Congregationi Theologum, & Consultorem adjungeret: in perardis discipline questionibus, quid Concina opinaretur, avidissime sciscitaretur, peramanter audiret, libentissimè probaret; ac denique privatis Epistolis non solum se ejus doctrina propugnatorem ac vindicem profiteretur, verum & publicis literarum monumentis commendaret. Magni quoque est habitus a clarissimis doctrina & dignitate Viris; quorum alii Concina Virum incomparabilem gentiumque Apostolum appellarunt; alii Christianæ Moralis redemptorem; omnes denique veritatis amatores effusis laudibus prosecuti sunt. Amicitia præ cæteris, & consuetudine floruit Cardinalium Tamburini, Passionei, Quirinii, Corsinii, Spinelli, Albani, Amedæi a Lanceis, Thomæ Ruffi. Cæteris quoque fuit Regibus & Principibus. Ex his vero qui literarum laude præstabant, amicitia & epistolarum federe conjunctos habuit Lamium, Fogginium, Bottarium, Muratorium, Zennum, Luciardum, Rotignium, Massijum, Cadonium, Gulium & Orlandum recti exempli, probatissimæque vite viros ex S. I. ac plures alios eruditionis, & probitatis fama conspicuos.

Hæc sunt quæ nobis raptim scribentibus occurrerunt. Ex his vero, quæ a clari nominis Viris de illo, & pro illo vulgata sunt, quædam selegimus; cætera vero notiora sunt, quam ut egeant huic Opella censi, iterumque vulgari. Si qui autem minus amicè de homine senserunt, facile licet eos præterire: se ipse enim aliquando partim tutatus est, partim celebres Viri defenderunt. Eos autem, qui se illi, immanitate quadam, vitioque improba natura, & ejus scriptis quibuscumque inimicos esse apertè professi sunt, ac vel ipsius Concina manibus insultare non erubuerunt, quum ille vivens contempserit, & nos contemnendos esse censemus.